

Utrum spiritus sancti a filio procedere spiritum sanctum precise a filio habeat distinguere. Arguitur quod non sic: spiritus sanctus non procedit a filio et distinguitur a filio. Igitur spiritus sancti a filio procedere speciem scilicet precise non habet a filio distinguere consequentia nota ex terminis, sed patet antecedens primo quod spiritus sanctus non procedat a filio sic: spiritus sanctus procedit a patre, igitur non a filio. Antecedens habetur Iohannis 6, consequentia patet, quia si procederet insimul a patre et filio, vel inquantum essent unum, vel inquantum duo.

Non inquantum duo, quia hoc est expresse condemnatum libro 6 extra de Summa trinitate et fide catholica capitulo 'fidei'. Nec inquantum unum, quia aut inquantum sunt unum in essentia, Et sic non, quia tunc eadem ratione spiritus sanctus spiraret. Nec inquantum sunt unum in persona, quia sic sunt duo et non unum, Sed quod hoc non obstante filius distinguatur a spiritu sancto patet, quia alia persona patris, alia filii, alia spiritus sancti.

Ad oppositum arguitur: si spiritus sanctus non procederet a filio non distingueretur ab eo, igitur spiritus sanctus a filio procedere spiritum sanctum a filio precise habet distinguere. Consequentia de se patet, et antecedens probatur, quia si non procederet ab eo non diceretur relative ad ipsum.

Igitur non distingueretur ab ipso, patet consequentia, quia nulla relatio est filii ad spiritus sanctus et econverso nisi relatio spirationis. Patet secunda consequentia, quia in divinis omnia sunt unum ubi non obviat relationis oppositio, secundum Anselmus De processione spiritus sancti, capitulo 3.

Pro solutione quaestionis pono conclusiones.

Prima conclusio est quod a patre insimul et filio spiritus sanctus personaliter dicitur procedere. Probatur tripliciter. Primo sic: supposito quod a patre, ut omnes dicunt, probatur quod a filio sic: Pater filio communicat quicquid filio non repugnat inquantum filius est sed filio inquantum filius non repugnat spirare, igitur maior pater (31rb) tet, quia dat sibi quicquid habet excepta paternitate, quia talis repugnat genito, sed minor probatur, quia spirare non repugnat filio ratione essentiae, quia eadem ratione repugnet et patri.

Nec ratione filiationis, quia filiatio non repugnat spirationi, cum igitur in filio non sit aliud preter essentiam et relationem, sequitur quod sibi nullo modo repugnat. Et confirmatur, quia pater communicat filio omnia que habet excepto eo in quo sibi filius opponitur. Sed filius non opponitur sibi in spiratione, quia solum sibi opponitur per nascibilitatem et paternitatem, igitur.

Secundo sic: spiritui sancto repugnat generare sed hoc non esset nisi produceretur a genito, non enim repugnat sibi eo quod productus est, productio enim non repugnat productioni, ut manifeste patet, igitur solum sibi repugnat inquantum a genito productus est.

Tertio arguitur auctoritate magistri et totius catholice ecclesie approbantis quod spiritus sanctus est a patre et filio non factus nec creatus nec genitus, sed procedens.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: spiritus sanctus est una persona producta simplicissima, igitur. consequentia nota, quia unum simplex productum est ab unico et simplici producente. Aliter unum simplex et indivisibile dependeret a pluribus distinctis non subordinatis essentialiter quod est contra Commentatorem 9 Metaphisice, commento 31.

Et antecedens est notum, quia persona spiritus sancti cum sit Deus qui est unus et simplicissimus, ut ait magister libro 1 distinctione 8, est una simplicissima.

Secundo sic: in mente nostra est similitudo et imago trinitatis increate. Igitur spiritus sanctus vel amor increatus non procedit a verbo increato. Antecedens patet libro 1 distinctione 3. Consequentia probatur, quia amor in mente nostra non procedit a verbo, immo ipsum precedit. Dicit enim Augustinus, 9 De trinitate, capitulo 9, quod in nobis appetitus precedit mentis prolem et sententialiter in multis locis illius libri dicit quod voluntas copulat parentem proli ex quo sequitur quod actus voluntatis scilicet amor in divinis precedit prolem sive filium, igitur ab ipso non procedit. Patet, quia etiam ut dictum est superius quaestione 9 nostra voluntas est sui actus totalis causa productiva stante primi influenza sic quod verbum actum voluntas non producit.

Tertio sic: spiritus sanctus a nullo procedit, igitur. Consequentia nota ex terminis, sed antecedens patet, quia nullum essenziale procedit in divinis cum omnia essentialiter sint unum, sed spiritus sanctus est in divinis essenziale, quia (31va) predicatur de tribus personis insimul et de qualibet illarum sigillatim, cum omnes personae sint spiritus sanctus et quilibet illarum, ut ait Magister libro primo distinctione 10, igitur.

Respondeo: ad primum negatur consequentia, et ratio est quia causa quare unum simplex non potest in rebus creatis produci a pluribus est, quia plures producentes hic realiter distincti non possunt habere unam solam productionem numero, nisi sint subordinati in tali productione. Sic autem non est in proposito quoniam in divinis licet pater et filius realiter distinguantur et non sint subordinati ad productionem spiritus sancti, tamen unica sola productione vel spiratione spirant spiritum sanctum, ut habetur libro 6 de Summa trinitate et fide catholica, capitulo fidei, et clarius dicitur in sequenti distinctione.

Ad secundum nego consequentiam. Ad probationem dico quod ad hoc quod in mente nostra sit omnimoda similitudo immo cum hoc stat magna dissimilitudo, ut ait Magister libro primo distinctione 3, penes autem quam similitudinem attendatur imago dictum est superius in solutione secundi argumenti contra secundam conclusionem quaestione 10.

Ad tertium dico quod spiritus sanctus, ut dicit Magister distinctione 10 accipitur dupliciter, scilicet substantialiter, et sic dicitur essentialiter, et sic non procedit aut appropriate vel personaliter, et sic procedit et est tertia persona divinitatis argumentum autem accipit spiritus sanctus primo modo et non secundo, conclusio autem secundo modo et non primo.

Secunda conclusio est quod spiritus sanctus a patre et filio procedit per increatam voluntatem libere. Probatur tripliciter. Primo sic: omne principium productivum perfectum potest producere terminum sibi adequatum ad intra vel ad extra nisi impediatur.

Sed voluntas in patre et filio est principium productivum perfectum et non impeditum. Igitur potest producere terminum sue potentie adequatum ad intra vel ad extra. Maior universaliter patet de omni principio activo vel productivo. Minor patet quoad primam partem scilicet quod pater et filius habeant voluntatem tanquam principium productivum perfectum, immo infinitum sic, quia voluntas secundum se dicit perfectionem simpliciter igitur est in Deo.

Sed voluntas in nobis est productiva ut ostensum est quaestione 9 conclusione prima et secunda, igitur multo fortius in Deo, sed talis potentia productiva in Deo non est finita, quia tunc posset esse aliqua creatura voluntas in virtute sibi adequata. Igitur est infinita in virtute productionis, igitur in Deo est voluntas principium pro (31vb) ductivum perfectum immo simpliciter in filium.

Ex quo sequitur secunda pars minoris, scilicet quod tale principium in Deo non possit impedi, quia quod est infiniti vigoris active a sua actione impediti non potest, sequitur igitur

quod voluntas potest producere in Deo terminum sue potentie adequatum ad intra vel ad extra sed non ad extra.

Quia nulla creatura potest adaequare infinitam potentiam divinitatis igitur ad intra, sed talis terminus a voluntate productus non potest esse nisi amor et dilectio que proprie dicitur productum voluntatis. Igitur potest producere amorem in filium sed ille amor est spiritus sanctus, ut dictum est in quaestione 13, igitur.

Secundo sic: omnis amor creatus productus est per voluntatem creatam productus libere, igitur et omnis amor increatus productus est per voluntatem increatam productus libere. Patet consequentia, quia sicut se habet amor creatus ad voluntatem creatam libere quoad productionem, sic et amor increatus ad voluntatem increatam. Antecedens patet ex hoc quia omnis actus voluntatis create est libere quoniam ab ipsa libertas non potest separari, ut ait Magister libro 2 distinctione 25. Amor autem creatus est actus voluntatis create.

Tertio sic: sicut se habet verbum ad intellectum sic amor ad voluntatem, sed verbum procedit ab intellectu modo intellectus, scilicet naturaliter, igitur amor procedit a voluntate modo voluntatis scilicet libere, sed spiritus sanctus est amor igitur.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: spiritus sanctus in divinis est ante omnem actum voluntatis, igitur spiritus sanctus a patre et filio per voluntatem increatam non procedit libere. Consequentia nota, quia non est intelligibile quod aliquid producat per id quod post ipsum existit. Antecedens patet, quia omnem actum voluntatis precedit actus cognitionis, quia voluntas non est nisi respectu cogniti, ut vult Augustinus 9 De trinitate capitulo ultimo, igitur si spiritus sanctus producit per voluntatem prius est cognitus per intellectum, ergo prius fuit. Patet ista ultima consequentia, quia in Deo nulla est cognitio nisi intuitiva que est rei existentis, igitur spiritus sanctus prius existit ante omnem actum voluntatis etc.

Secundo sic: processione quia procedit spiritus sanctus a patre et filio sibi a parte et filio communicatur natura patris et filii, igitur. Antecedens notum, quia spiritus sanctus habet eandem naturam cum patre et filio, et non nisi per productionem qua producit a patre et filio. Et consequentia patet, quia natura non communicatur nisi per modum nature, ut videtur velle Commentator (32ra) 12 Metaphisice commento 19, modus autem nature distinguitur a modo voluntatis 9 Metaphisice textu commenti 10.

Tertio sic: spiritus sanctus producit a patre et filio per voluntatem increatam, igitur et verbum producit per intellectum increatum consequentia nota. Quia sicut dicitur in tertio argumento istius conclusionis, sicut se habet verbum ad intellectum ita amor ad voluntatem sed consequens per te est falsum et contra tertiam conclusionem septime questionis, igitur.

Respondeo ad primum: negatur antecedens. Ad probationem cum dicitur quod ante omne actum precedit actus cognitionis, dico quod verum est de voluntate imperativa cuiusmodi est volitio respectu alicuius absoluti sic intelligendo quod omne quod est volitum per actum voluntatis necessario est prius saltem natura cognitum, sed hoc non est verum de voluntate cuius volitum est ipsa volitio, non enim oportet quod prius cognoscam volitionem meam vel actum volendi quam producat, lice<t> oportet quod prius cognoscam volitum, quia in nobis est aliud a volitione. In divinis autem ipse actus voluntatis prout est productus a voluntate est idem quod ipsum volitum scilicet spiritus sanctus et ideo non valet.

Ad secundum cum dicitur quod spiritus sanctus per processionem a patre et filio communicatur natura patris et filii, dico quod aliquid dicitur naturale vel sibi communicatur natura dupliciter.

Unomodo, quia tale dicitur vera res naturalis producta a principio naturali et modo nature et talis res in divinis dicitur filius. Alio modo quia tale dicitur res naturalis quia idem nature non tamen producta per modum nature, et sic spiritus sanctus est natura divina de prima productione procederet argumentum, et non de secunda. Vel dicendum quando dicitur quia natura non communicatur nisi per modum nature quia ista propositio solum verificatur in rebus creatis in quibus voluntas et natura non sunt equalis potentie sed non in rebus divinis ubi omnia sunt potentie infinite.

Ad tertium dico quod intentio conclusionis est quod spiritus sanctus producit per voluntatem increatam non in quantum voluntas est per se et absolute, quia tunc cum spiritus sanctus illam voluntatem habeat equaliter sicut pater et filius ipse produceret spiritus sanctus quod repugnat.

Sed voluntas increata producit Spiritus Sanctus non in quantum voluntas absolute, sed in quantum est in supposito cui non repugnat spiritum sanctum producere. Tale autem suppositum non est persona patris et filii sicut dicebatur superius declarando qualiter natura est potentia productiva filii quaestione 10, et cum (32rb) dicitur quod superius est negatum verbum procedere ab intellectu divino. Dico quod verum est: in quantum intellectus divinus est quod commune et absolutum, sed non in quantum est in supposito cum proprietatibus cui non repugnat generatio.

Tertia conclusio est quod spiritus sanctus a filio procedere spiritus sanctus a filio precise non habet distinguere. Quod sic intelligo quod si spiritus sanctus non procederet a filio per impossibile supposito tamen quod procederet a patre adhuc distingueretur a filio. Probatur tripliciter. Primo sic: Filius in divinis est persona ab illis distincta formaliter per filiationem et non per spirationem. Igitur posito quod spiritus sanctus non procederet ab ipso adhuc ab eo distingueretur. Patet antecedens, quia filius filiatione est filius et non spiratione, aliter pater, quia spiratio esset filius. Sed probatur consequentia, quia unumquodque eodem formaliter constituitur in esse tali et distinguitur ab omni alio, quia eodem formaliter quo quod est formaliter unum est, etiam ab alio distinctum, cum igitur filius, ut dictum est sit filius filiatione formaliter et non spiratione, sequitur quod formaliter distinguitur a spiritu sancto filiatione et non spiratione, igitur.

Secundo sic: dato per impossibile quod spiritus sanctus non procederet a filio, adhuc distingueretur a patre et filius distingueretur a patre, aut igitur filius et spiritus sanctus distinguerentur a patre, ut una persona producta aut due persone si<c>ut due habetur propositum si<c>ut una contra,

quia tunc in divinis non essent nisi due persone. Arguitur, quia tunc due productiones reales sicut sunt generatio et spiratio terminarentur ad eundem terminum realem, quod est impossibile equaliter.

Tertio sic: manente causa manet effectus, sed causa quare spiritus sanctus non est filius, quia procedit non quomodo natus, sed quomodo datus, ut dicit Augustinus 5 De trinitate capitulo 17 et ista causa maneret posito quod spiritus sanctus solum procederet a patre et non a filio igitur.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: in divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio, sed si spiritus sanctus non procederet a filio inter filium et spiritus sanctus non esset relationis oppositio, igitur filius et spiritus sanctus essent unum. Maior patet per Anselmum De processione spiritus sancti, capitulo 2, ubi ait: relationis oppositio que ex

hoc nascitur quod supra dictis duobus modis Deus de Deo est prohibet patrem et filium et spiritum sanctum de se invicem dici.

Et minor apparet, quia tunc illo supposito in filio non esset nisi unica relatio scilicet filiationis qua ad patrem referretur et in spiritus sanctus relatio spirationis passiva qua ad patrem referretur (32va) filiatio autem et spiratio passiva non opponuntur ad invicem sed sunt relationes disparate.

Secundo sic: nulla distinctio in divinis est per aliquid absolutum, sed solum per relationes oppositas, igitur. Patet antecedens quoad primam partem quia omnia absoluta in divinis sunt unum. Quoad secundam partem, scilicet quod distinctio ibidem non sit per relationes disparatas sed solum per oppositas.

Quis si in divinis esset distinctio per relationes disparatas cum in parte sint due relationes disparate scilicet paternitas et spiratio activa sequeretur quod pater esset distinctus a patre et essent due persone quod est erroneum. Et consequentia patet, quia tunc inter patrem et filium et spiritus sanctus non essent aliquae oppositae relationes, sed solum disparate scilicet filiatio et spiratio passiva.

Tertio sic: ubicumque aliquae persone per solam relationem distinguntur: oportet illa referri ad invicem quae personaliter distinguntur, sed persone divine solum per relationes distinguntur, ut dictum est per Anselmum, igitur. Sed si spiritus sanctus non procederet a filio non referretur ad filium igitur non distingueretur a filio.

Respondeo. Ad primum, dico quod visa intentione Anselmi argumentum est magis ad oppositum, quia dicit quod illa oppositio relationis quae ex hoc nascitur quod supradictis duobus modis etc. Et qui sint illi modi ipse dicit postea, scilicet quod filius nascendo habet esse de patre et Spiritus Sanctus non nascendo, sed procedendo.

Et capitulo 4 dicit quod ista sola diversitas procedendi obviat unitati, propter quod dico quod Anselmus loquitur de illa oppositione quae est inter terminos oppositos vel inter relationes disparatas duorum diversimode a tertio emanantium quae in divinis sufficit ad distinctionem personalem posito quod alter non sit ab alio dummodo diversimode uterque sit a tertio.

Ad secundum dicitur quod distinguntur non solum per relationes oppositas, immo etiam per disparatas. Ad probationem: quia tunc pater esset due persone, dico quod non sequitur, quia ad distinctionem principiatorum non sequitur distinctio principiorum, quia maior distinctio est in principatis quam in principiis. Nam duo ideata, ut homo et asinus sunt incompossibilia in eadem natura et differunt realiter re absoluta per essentiam non tamen ipse idee eorum causative sed sunt simul in eodem simplici. Similiter artifex naturalis generat filium et heditificat domum quae non potest esse in eodem et tamen ars et natura sunt in eodem. Non igitur sequitur principata habentia relationes disparatas differunt ab invicem igitur et principium illas disparatas relationes habens.

Ad tertium patet per predictam solutionem quod persone non solum distinguntur per relationes oppositas sed etiam per disparatas quae adhuc essent in filio et in spiritu sancto spiritus sanctus non procederet a filio.

Ad argumentum principale in oppositum patet statim per dicta.

Ad primum in principio quaestionis quia est contra primam conclusionem cum probatur quod spiritus sanctus non procedit a filio quia procedit a patre non a filio negatur consequentia.

Ad probationem, quia aut ut sunt unum in essentia, aut sunt in persona, dico quod nec sic nec sic, sed ut sunt unum in notione spirativa et sunt unum simplicissimum principium

spirandi spiritus sanctus que notio vel vis spirativa non est aliud quam voluntas divina in supposito vel suppositis cum conditionibus quibus non repugnat spiratio activa etc.

Utrum Spiritus Sanctus a Patre et Filio ut ab unico principio dicatur uniformiter procedere. Et arguitur quod non sic: Pater et filius non sunt unum principium spiritus sancti, igitur. Conclusio falsa, consequentia nota, sed probatur antecedens, quia, si pater et filius essent unum principium spiritus sancti, aut essent unum principium, quod est pater, aut unum principium quod non est pater. Non primum, quia tunc filius esset aliquid quod non esset filius, quia esset pater, qui non est filius. Nec secundo modo, quia tunc pater esset aliquid quod non est pater, quia pater esset filius qui non est pater, et eodemmodo posset argui: aut sunt unum principium quod est filius, aut quod non est filius.

Ad oppositum est determinatio facto Sancte Romane Ecclesie libro 6 De summa trinitate et fide catholica capitulo fidei ubi dicit Bonifacius: “fidei ac devota professione fatemur quod Spiritus Sanctus eternaliter a patre et a filio non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedit ab eis ex quo videtur sequi aperte quod si unica spiratione quod etiam uniformiter.”

Pro solutione quaestionis pono conclusiones. Prima conclusio est quod spiritus sanctus a patre et filio ut ab unico principio dicatur procedere probatur tripliciter.

Primo sic: spiritus sanctus est una persona perfecta simplicissima producta igitur solum ab unico perfecto et sufficiente principio dicitur procedere. Et per consequens cum procedat insimul a patre et filio ut patuit per primam conclusionem precedentis quaestionis sequitur quod ab eis procedit ut ab unico principio (33ra)

Antecedens de se notum est, sed probatur consequentia, quia nullum perfectum productum potest habere plura eque perfecta et sufficientia principia productiva. Quod probatur, quia tunc sequeretur quod a quolibet illorum principiorum produceretur et quod a nullo produceretur. Quod a quolibet patet hec propositio non sit vera sed quod a neutro probo. Quia unum perfectum et sufficiens principium sufficienter producit suum principiatum igitur quodlibet aliud perfectum et sufficiens principium est ibi frustra, igitur solum unum producit.

Et consimiliter arguam de isto signato quod non producit probando quia aliud principium quod ponis est perfectum et sufficiens. Sed forte dices quod eodemmodo probaretur quod nulla creatura aliquid produceret cum Deus se dolo sit sufficiens et perfectum principium omnium.

Dico quod non est simile, quia licet creatura concurrat cum Deo ad aliquem effectum tamen creatura non est perfectum et sufficiens principium, sed solum Deus, et sic non sequitur quod ibi sint duo perfecta principia et quia creatura est principium subordinatum ipsi Deo essentialiter duo autem perfecta principia equaliter non sic se possunt habere quod unum alteri sit subordinatum.

Sedundo sic si spiritus sanctus procederet a patre et a filio ut sunt plures. Igitur ab eis procederet ut pater est et ut filius est sed consequens est falsum. Patet consequentia, quia pater et filius nullomodo sunt plures nisi per proprietatem divinam que unus est pater et alius est filius. Sed falsitas consequentis probatur, quia si procederet ab eis ut pater est et ut filius est cum solum paternitate pater sit pater et filius filiatione sit filius sequeretur quod spiritus sanctus procederet a patre paternitate et a filio filiatione. Et sic paternitate et filiatione referetur ad patrem et filium quod est falsum cum in ipso solum sit unica relatio scilicet spiratio passiva.

Tertio arguitur auctoritate Augustinus 5 De trinitate capitulo 14 in sine ubi ait fatendum est patrem et filium principium esse spiritus sanctus non duo principia, sed sit pater et filius

unus Deus et ad creaturam relative dicitur unus creator et unus dominus sic relative ad spiritum sanctum unum principium dicitur. Ista conclusio etiam patet per decretalem positam ad oppositum quaestionis.

Contra istam conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: spiritus sanctus procedit a Patre et Filio ut Pater et Filius sunt supposita (33rb) sed pater et filius ut sunt supposita sunt plures igitur.

Antecedens notum quia actus sunt suppositorum. Spiratio autem activa qua spiritus sanctus procedit est quidam actus minor patet quia pater et filius nullomodo sunt unum suppositum. Et confirmatur quia distinctorum suppositorum sunt distincte actiones pater et filius sunt distincta supposita igitur.

Secundo sic: si spiritus sanctus procederet a patre et filio ut sunt unum. Quero aut in quantum sunt unum in essentia aut in persona aut in vi spirativa. Non primo modo, quia eadem ratione spiritus sanctus spiraret. Nec secundo modo, quia sic nullomodo sunt unum, nec tertio modo, quia si dicerentur unum propter unam vim spirativam eodem modo per oppositum habens plures virtutes productivas diceretur plura et sic pater esset duo principia respectu filii et spiritus sanctus propter duas vires spirativas in illo respectu ipsorum.

Tertio sic: spiritus sanctus procedit a patre et filio in quantum est nexuss illorum. Igitur in quantum sunt plures consequentia nota quia nexus non potest esse aliquorum nisi in quantum sunt plures et distincti. Improperie enim eiusdem rei ad se ipsam dicitur nexus, sed antecedens patet per Augustinum 6 De trinitate capitulo 5 non est autem nexus eorum nisi in quantum procedit ab eis.

Ad primum dico quod spiritus sanctus non procedit a patre et filio ut sunt supposita hoc est quod ratio processionis non est ratio suppositi, quia tunc cum spiritus sanctus sit perfecte suppositum sicut pater et filius ita perfecte spiraret.

Ad probationem, quia actiones sunt suppositorum, dico quod verum est quia procedunt a suppositis, non tamen in quantum supposita sunt, et sic dico quod spiratio procedit a patre et filio qui sunt duo supposita, non tamen in quantum sunt duo supposita vel aliter et melius.

Dico quod argumentum supponit unum falsum, scilicet quod spiritus sanctus producat per actum spirationis a patre et filio elicited, quod non concedo sicut nec generare est actus elicited, ut dictum est quaestione 8 conclusione tertii. Argumentum igitur forte procederet: ubi actus quo aliquid producedur esset actus elicited et eodem modo dico ad confirmationem.

Ad secundum dico quod procedit ab eis in quantum sunt unum in vi spirativa et cum infertur quod pater tunc esset duo principia etc.

Nego consequentiam: non enim sequitur propter unam vim productivam plura supposita dicuntur unum principium. Igitur propter duas vires productivas unum suppositum dicitur plura principia. Et ratio est quia una vix numero po- (33va) test esse in pluribus suppositis distinctis, ut patet de vi creationis que est in patre et filio et spiritus sanctus una numero.

Sed ad hoc quod dicantur plura producentia non solum requiritur distincta vis, sed etiam distinctio suppositorum. Unde licet unus homo habeat plures scientias, non tamen dicitur plures scientes.

Ideo ad propositum licet in persona patris sint plures vires productive, tamen quia suppositum est unum solum non potest dici plura principia.

Ad tertium dico quod pater et filius nectuntur in spiritum sanctum sicut in communi producto licet sint distincta inter se supposita, tamen non habent commune productum in quantum distincta sunt sed in quantum unum.

Unde commune productum est ab eis in quantum sunt unum principium.

Secunda conclusio est quod spiritus sanctus a patre et filio uniformiter dicitur procedere. Probatur tripliciter, primo sic: spiritus sanctus procedit a patre et filio unica spiratione simplicissima, igitur uniformiter. Consequentia patet, quia si procederet non uniformiter, igitur illa productio non esset uniformis, igitur non simplicissima. Antecedens patet primo quod unica spiratione, ut probatum est in precedenti conclusione, sed spiratione simplicissima. Patet, quia talis spiratio non est Deus et Deus est summe et perfectissime simplex, ut ait Magister libro 1 distinctione 8, igitur.

Secundo sic: quecumque in producendo aliquid sunt omnino unum uniformiter illud producant. Sed pater et filius in productione spiritus sancti sunt omnino unum, igitur uniformiter ipsum producant, igitur ab eis uniformiter procedit. Maior patet, quia si esset ibi aliqua difformitas statim sequitur quod aliqua diversitas et si aliqua diversitas. Igitur non omni moda identitas, sed minor apparet, quia sicut omnino tota trinitas est unicum simplicissimum principium respectu omnium creaturarum, ita pater et filius respectu spiritus sancti, ut ait Augustinus 5 De trinitate capitulo 18 ut allegatum est in tertio argumento prime conclusionis.

Tertio sic: spiritus sanctus procedit a patre et filio non prius nec principalius, non magis proprie, non magis immediate a patre quam a filio vel a filio quam a parte, igitur uniformiter. Consequentia nota, quia omnis difformitas spiritualis in difformitate alicuius modi predicti continetur. Et antecedens patet per Magistrum libro 1 scilicet in ista distinctione ubi quodlibet dictorum (33vb) membrorum per se et sigillatim probat. Ad hoc etiam valet decretalis superius allegata ad oppositum quaestionis.

Contra istam conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: spiritus sanctus magis procedit a patre quam a filio, igitur non uniformiter. Consequentia nota, quia magis et minus in omni re causant difformitatem. Antecedens patet, quia spiritus sanctus procedit a filio per patrem et quod ab ipso procedit habet a patre. Igitur magis procedit a parte quam a filio. Antecedens istius consequentie Magister ponit in littera. Sed consequentia nota, quia, 1 Posteriorum, propter unumquodque tale et illud magis.

Secundo sic: pater producit spiritus sanctus duplici via, filius autem producit spiritum sanctus unica sola via, igitur. Conclusio falsa, consequentia nota ex terminis, quia producere unica sola via et duplici via est difformiter producere, et antecedens patet, quia pater producit spiritus sanctus immediate et ab ipso immediate procedit et mediate. Quia per filium etiam producit spiritum sanctum, ut dicit Hilarius et ponitur in littera in ista distinctione capitulo "forte", igitur.

Tertio sic: pater producit spiritus sanctus a se filius producit spiritus sanctus non a se, sed a patre. Igitur conclusio falsa consequentia nota ex terminis, quia productio a se et non a se non est uniformis et antecedens patet per magistrum in ista distinctione.

Nam per hoc quod pater producit spiritum sanctum a se et filius non a se, sed a patre, solvit omnes auctoritates ad oppositum suarum conclusionum in ista distinctione inductas.

Respondeo ad primum negando antecedens. Ad probationem dico primo quod illa proposito solum habet veritatem in causis primis et secundis scilicet propter unumquodque etc., et in causis que differunt essentialiter, sed non in causis que sunt simpliciter unum essentialiter,

ut sunt persone divine. Quod patet, quia quod filius creet b corpus hic habet a patre, et propter patrem tamen quia filius et patre sunt unum essentialiter, non magis pater creat b quam filius nec econverso. Sic in supposito.

Vel dico quod illa propositio solum habet veritatem in causis subordinatis quarum prima communicat secunde virtutem causandi sed non eadem virtutem numero quam in se habeat. Non autem habeat veritatem quando causa communicat eadem actionem producto et sic est in proposito, quia pater eadem vim numero spirativam quam habet communicat filio.

Ad secundum negatur antecedens. Ad probationem quia pater producit spiritum sanctum immediate et mediate, filius autem solum immediate, dico quod aliquid aliud producere mediate potest dupliciter intelligi. Uno modo quia non per se, sed per (34ra) alium ipsum producit vel facit, sicut rex suspendit latronem non per se ipsum sed per alium, et isto modo producere aliquid mediate aut immediate est duplici via ipsum producere et sic pater non producit spiritum sanctum. Alio modo aliquid producit aliquid immediate, quia non solum illud immediate producit per se ipsum, sed etiam alteri communicat eandem vim numero productivam ad illudmet producendum et isto modo pater creat mediate, quia filio et spiritu sancto communicat eandem virtutem numero creandi quam habet et isto modo producere mediate et immediate per se non est duplici via aliquid producere, et isto modo pater producit filium mediate et sic non procedit ad propositum probatio.

Ad tertium dico quod producere aliquid a se et producere aliquid ab alio non inducunt difformitatem in modo producendi, ut statim dictum est, sed solum in modo habendi ipsam vim productivam, et sic ex argumento bene sequitur quod non uniformiter pater et filius habentur virtutem spirativam, sed non sequitur quod difformiter producant.

Tertia conclusio est quod spiritus sanctus a patre et filio non ut a duobus sed ut ab uno spiratore dicitur procedere. Probatur tripliciter. Primo sic: spiritus sanctus procedit a patre et filio ut ab uno principio igitur ut ab uno spiratore patet consequentia, quia omnis spirator dicitur principium spirandi, igitur si plures sint spiratores erunt plura principia spiritus sancti spirantia antecedens est prima conclusio huius quaestionis.

Secundo sic: una est simplex spiratio activa in patre et filio, igitur pater et filius sunt unus simplex spirator, igitur spiritus sanctus non procedit a patre et filio, ut a duobus spiratoribus, sed ut ab uno spiratore simplici. Ultima consequentia patet ex terminis; et prima consequentia probatur, quia nullus dicitur spirator nisi per virtutem spirativam. Igitur si plures et distincti erunt spiratores plures et distincte erunt virtutes spirative et antecedens primum patet per decretalem superius allegatam ad oppositum quaestionis.

Et confirmatur, quia sicut tres persone dicuntur unus creator et hoc propter unam virtutem creandi quam in se habent sic et pater et filius debent dici unus spirator propter unam virtutem spirativam quam in se habent.

Tertio sic: si spiritus sanctus procederet a patre et filio ut a pluribus spiratoribus sic quod pa- (34rb) ter et filius essent duo spiratores, quero aut sunt duo spiratores adinvicem subordinati ita quod unus per prius alius per posterius spiret et hoc non, ut ponit Magister in littera aut essent duo spiratores per omnia spirantes equaliter et hoc non, quia tunc quero aut unus spirator sufficienter spirat spiritum sanctum per se sine alio et tunc sequitur quod alius spirator spuerfluit, aut non sufficienter et tunc sequitur quod in divinis sit aliquid producens aliquid se solo impotens illud producere et indigens alterius persone adiutorio quod non bene sonat.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: pater et filius spirant spiritus sanctus, igitur pater et filius sunt spirantes spiritum sanctum. Antecedens notum ex precedenti quaestione et consequentia patet. Quia a verbo ad participium in eisdem terminis est bona consequentia sicut bene sequitur 'Socrates et Plato currunt; igitur Socrates et Plato sunt currentes'. Similiter in proposito pater et filius spirant, igitur pater et filius sunt spirantes et tunc ultra 'pater et filius sunt spirantes, igitur sunt spiratores. Patet ista consequentia, quia sicut sequitur in particulari 'iste est spirans; igitur est spirator, sic etiam sequitur in generali 'isti sunt spirantes; igitur sunt spiratores', et tunc ultra pater et filius sunt spiratores spiritum sanctum; igitur spiritus sanctus procedit ab eis ut a spiratoribus, igitur.

Secundo sic: hic pater est spirator, hic filius est spirator, hic pater non est filius. Igitur hic spirator non est ille. Igitur sunt plures spiratores, ergo conclusio falsa.

Tertio sic: pater et filius sunt actores spiritus sancti, igitur et spiratores, igitur conclusio falsa ultima consequentia nota. Quia si sunt spiratores sequitur quod non sunt unus spirator et prima consequentia patet, quia non sunt actores spiritus sancti nisi per spirationem, sequitur ergo quod si sunt plures actores quod sint plures spiratores et antecedens patet per Hilarium 2 De trinitate dicentem quod spiritus sanctus procedit a patre et filio actoribus.

Respondeo ad primum. Dico quod non sequitur: sunt spirantes, igitur sunt spiratores, et ratio est quia adiectiva accipiunt naturam suam a suppositis, substantiva autem a forma signata. Cum igitur spirantes sit adiectivum, debet dici plures spirantes propter pluralitatem suppositorum. Sed, cum spirator sit substantivum, non debet dici nisi unus spirator propter unitatem forme vel virtutis spirative. (34va)

Et ad probationem quando dicitur quod sicut ad particularem de termino adiectivo sequitur particularis de termino substantivo sic ad universalem de termino adiectivo sequitur universalis de termino substantivo et ideo sicut sequitur est spirans igitur est spirator sic sequitur 'sunt spirantes, igitur sunt spiratores'. Hic dico quod regula solum habet veritatem in illis in quibus diversa supposita requirunt diversas formas vel modos producendi, non autem ubi una simplex virtus in diversis suppositis esse potest. Unde licet sequatur 'pater est creans, igitur est creator', non tamen sequitur 'pater et filius sunt creantes, igitur sunt creatores propter dictam causam'.

Ad secundum dico quod sillogismus expository non valet in secunda figura. Unde non sequitur 'hic homo est animal, hic asinus est animal, igitur etc. etiam quia in secunda figura ex puris affirmativis nihil sequitur.

Ad tertium dico quod Hilarius ibidem dicit quod pater et filius sunt actores spiritus sancti. intelligit ibi substantivum pro adiectivo. Unde nihil aliud vult dicere spiritus sanctus procedit a patre et filio actoribus id est a patre et filio ipsum spirantibus et sic non valet argumentum.

Ad argumentum in oppositum in principio quaestionis factum nego antecedens ad probationem cum queritur aut sunt unum quod est pater. Aut unum quod non est pater etc. Dico quod utrumque separatim et precise est negandum ut procedit obiectio, quia tale principium unum non est unum quod sit pater precise, nec unum quod non sit pater precise, sed utrumque concedendum est coniunctim, quia pater et filius sunt unum principium quod est pater, sed non precise pater, quia etiam filius, et sunt unum principium quod non est pater quia est etiam filius, sed non precise non pater quia etiam includit patrem sicut dicimus quod tres persone sunt unus creator vel unus dominus, qui creator est unum quod est pater, sed non precise pater, et est

unum quod non est pater, sed non precise non pater. Sic in proposito, et ista sufficiant de quaestione etc.